

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Scena IIII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

A N D R I A

Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
 Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient,
 Sine omni periculo: nam hocce haud dubium est, quin
 Chremes

Tibi non det gnatam: nec tu ea causa minueris
 Hæc, quæ facis, ne is mutet suam sententiam.

Patri dic uelle: ut, cum uelit tibi iure irasci, nõ queat,
 Nam quod tu speres, propulsabo facile. uxorem his
 moribus

Dabit nemo. inopem inueniet potius, quàm te corrumpi
 pi sinat:

Sed si te æquo animo ferre accipiet, negligentẽ feceris.
 Aliam ociosus quæret: interea aliquid acciderit boni.

P. Itan' credis? D. haud dubium id quidem est. P. unde
 de, quò inducas. D. quin taces?

P. Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ab illa,
 cautio est:

Nam pollicitus sum suscepturum. D. o facinus audax.
 P. hanc fidem

Sibi, me obsecrauit, qui se sciret non deserturum,
 darem.

D. Curabitur. sed pater adest. caue, te esse tristem sentiat.

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

S. Euiso, quid agant, aut quid captent consilia.

D. r Hic nunc nõ dubitat, quin te ducturũ neges.
 Venit meditatũ alicunde ex solo loco:

Orationem sperat inuenisse se,

Qu

Qua differat te : proin' tu face , apud te ut sies .

P. Modo ut possim . D. crede mihi hoc inquam Pamphile ,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
vnum esse uerbum , si te dices ducere .

ACTVS SECVNDI SCENA V.

BYRRHIA, SIMO, DAUVS, PAMPHILVS.

B. Erus me , relictis rebus , iussit Pamphilum
hodie obseruare , ut , quid ageret de nuptijs ,
sciré . id propterea nunc huc ueniētē sequor .

Ipsum adeo præsto uideo cum Dauo . hoc agam .

S. Vtrunque adesse uideo . D. hem serua . S. Pamphile .

D. Quasi de improviso respice ad eum . P. hem pater .

D. Probe . S. hodie uxorem ducas , ut dixi , uolo .

B. Nunc nostræ parti timeo , quid hic respondeat .

P. Neque istic , neque alibi tibi usquam erit in me mora .

B. hem .

D. Obmutuit . B. quid dixit ? S. facis , ut te decet ,
cum istuc , quod postulo , impetro cum gratia .

D. Sum uerus ? B. herus , quantum audio , uxore excidit .

S. I iam nunc intro , ne in mora , cum opu' sit , sies .

P. Eo . B. nulla ne in re esse homini cuiquam fidem ?

Verum illud uerbum est , uolgo quod dici solet ,

Omnes sibi melius malle esse , quàm alteri .

Ego illam uidi uirginem : forma bona

Memini uidere : quo æquior sum Pamphilo ,

si se illam in somnis , quàm illum , amplecti maluit .

Renunciabo ; ut pro hoc malo mihi det malum .

B

3

ACTVS